

## I. [LIMITATIO TERMINORUM IUDICIALIUM]

Actum in conventionem generali Piotrcouiensi feria quinta in crastino festi Conversionis sancti Pauli, anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>XLVIII [26 I 1548].

Sacra Regia Maiestas cum consiliariis in conventionem generali praesenti congregatis propter affectam aetatem valetudinis sui, de consilio et consensu unanimitate dominorum consiliariorum, ad postulationem nuntiorum equestrii ordinis omnium terrarum regni, omnes et singulas causas et earum terminos quarumlibet personarum, status et sexus utriusque ab omnibus omnium terrarum iudiciis tam terrestribus<sup>a</sup> quam castrensibus et colloquialibus seu ex terminis generalibus necnon ab officiis castrensibus<sup>a</sup> succamerariis et commissarialibus et iuris Maideburgensis atque Culmensis Theutonici civitatum et oppidorum et aliis quibusvis Regni Poloniae iudiciis ordinariis et extraordinariis saecularibus, tam ad praesentem conventionem quam ad praesentiam ac terminos regales seu Sacra Maiestas Regia solis excitationibus ad citationibus, concitationibus et litis pendentes prorogationibus, dilationibus, motionibus, appellationibus, remissionibus et quibusvis limitationibus et terminorum inscriptionibus et quibuscumque instantiis et aliis ex causis devolutis pendentes et provenientes, una cum concitationibus verbalibus et terminis factisque ac omnibus infra cadentibus simul et suas causas regias ad instantiam suae Sacrae Regiae Maiestatis<sup>b</sup>, sive solius sive instigatorum suae Sacrae Regiae Maiestatis officii cuiuscumque conditionis et occasione quarumcumque rerum ac bonorum suae Sacrae Maiestatis Regiae, tam in genere quam in specie generaliter universis exceptis, duntaxat infra excipiendis, huic usque ad aliam conventionem generalem regni proximam ubicumque in Regno Poloniae celebrandam prorogare, limitare et transponere dignata est. Prout et praesenti inscriptione prorogat, limitat et transponit, continuat. Et habent habebuntque partes praefatae omnes terminos suos in causis praefatis in conventionem generali proxime futura ubicumque in regno celebranda tales, quales hodie, in praesenti conventionem et terminis regalibus alias praesentiae suae Maiestatis hoc est coram persona suae Maiestatis habere debuerunt, iuxta ipsarum partium omnium controversias, motiones, appellationes, citationes, concitationes revisicatoriales, adcitationes ad prosequendas motiones vel appellationes, concitationes ad satisfaciendas remissiones, dilaciones, limitationes totumque processum earum suarum omnium, tum et iuramenta et qualicumque documenta actaque tam terrestria quam castrensia et colloquialia commissarialia quarumcumque terrarum et districtuum ac palatinatum regni provinciaeque conventionalia latius caventia, partium omnibus iuribus in vigore suo salvis permanere. Nihilominus tum excipiuntur ex hac limitatione omnes et singulae causae quarumcumque personarum, status et sexus utriusque, ad colloquia seu terminos generales antea motae, seu quomodolibet provenientes. Nunc vero in defectu colloquiorum ad conventionem modernam quomodolibet et ex quacumque causa devolutae, hoc est, quae nondum sunt practicae neque decisa in colloquiis seu terminis terrarum et ducatum. Quas omnes et singulas huiusmodi actiones sua Sacra Regia Maiestas et specialiter remittit ad proximos terminos colloquiorum seu terminos generales earum terrarum et ducatum regni, in quibus antea iudicari et practicari respective debebant et habent habebuntque partes praefatae praefatarum causarum nondum in colloquiis seu terminis practicarum<sup>c</sup> generalibus suos terminos in colloquiis seu terminis generalibus earum terrarum et ducatum, de quibus ad praesentem conventionem hic devolutae quomodolibet fuerunt, tales quales ante conventionem praesentem in colloquiis seu terminis generalibus, ubi celebrati fuissent, habere debuerunt iuxta ipsarum partium omnium controversias, motiones, appellationes, <sup>d</sup>citationes, concitationes<sup>d</sup> revisicatoriales, adcitationes ad prosequentes motiones vel appellationes, concitationes ad satisfaciendum, remissiones, dilaciones, limitationes totumque progressum causarum suarum<sup>e</sup> omnium, tum et iuramenta et qualicumque documenta actaque tam terrestria quam castrensia et colloquialia<sup>f</sup> quarumcumque

<sup>a-a</sup> *Dopisane częściowo w interlinii, częściowo na marginesie.* <sup>b</sup> *Dopisane na marginesie: tam in genere.* <sup>c</sup> *Wyraz nadpisany nad skreślonym: habiturum.* <sup>d-d</sup> *Zaznaczono też odwrotną kolejność: concitationes, cittationes.* <sup>e</sup> *Odczyt niepewny, wyraz prawdopodobnie skreślony.* <sup>f</sup> *W interlinii następują skreślone wyrazy: et commissarialia.*

terrarum et districtuum ac palatinatum regni provinciaque conventionalia latius caventia partium omnibus iuribus<sup>g</sup> nec non appellationibus de iure ad aliam conventionem et decretum colloquiorum seu terminorum generalium interpositis in vigore suo salvis permanentibus. Iudicia tamen omnia et singula atque officia terrarum atque locorum omnium et singulorum, ius et iustitiam debitam et executionem rei iudicatae ordine debito iuxta iuris formam exequantur et peragantur interim sub hac videlicet causarum et terminorum omnium et singulorum generali limitatione ex his omnibus causis, quaecunque coram eis quomodolibet essent introductae et agitatae et in hac generali suspensione, prorogatione et limitatione non fuerint inclusae seu quomodolibet et ex quacunque causa in praesenti conventionem occupatae.

## II. LITTERAE RESTIUM

### A. Primarum restium ingrossatio

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobiles, advocatis, scultetis, civibus ceterisque cuiuscunque status, condicionis et praecminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem generalem bellicam de iure vel consuetudine regni nostri obligatis. Sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Magna regno nostro ab hostibus nuntiantur pericula quae ne imparatos nos opprimant, mandamus sinceritati et fidelitati vestrae his primum restium litteris quandoquidem nulla alia...<sup>a</sup>

### B. Litterae secundarum restium

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobiles, advocatis, scultetis, ceterisque cuiuscunque status, conditionis et praecminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem generalem bellicam de iure vel consuetudine regni nostri obligatis. Sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Mandamus sinceritatibus et fidelitatibus vestris cum antea primis restium litteris ut omnia quae belli usus postulat paparetis<sup>b</sup> ad hostium impetum propulsandam, si quem in regnum et dominia nostra facere voluerint ad quorum conatus reprimendos quoniam sola bellica expeditio relicta nobis est, ne aliqua imparilia<sup>c</sup> defuisse reipublicae videamur, quam magna undique circumstare pericula animadvertimus. Mandamus Sinceritatibus et Fidelitatibus vestris, duximus ita, ut hisce alteris restium litteris mandamus, arma expediant, equos parent ceteraque arma, quae belli necessitas postulat, in promptu habeant, ut cum tertiis restium litteris vocatae fuerint ad locum, quem in illis designabimus, nulla interposita mora convenient. Interea nihilominus exerceri iudicia volumus, quoad tertiarum restium litterae missae a nobis fuerint. Hasce autem litteras nostras nemo apud se retinere audeat, sed eas viciniore perferendas, ultimis vero capitaneo loci reddendas curet, sub gravi indignatione nostra et poenis statutis regni nostri perscriptis aliter non facturum. Datum Cracouiae, 18 Martii anno Domini MDXLVIII [18 III 1548], regni vero nostri XLII. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

<sup>g</sup> Na marginesie dopisano i przekreślono: in vigore suo salvis permanentibus ne.

<sup>a</sup> Tekst w G. Sier., t. 10, urwany i nie jest kontynuowany na stronie następnej (prawidłowo numerowanej, 354), gdzie znajduje się nowy wpis. <sup>b</sup> Tak w rękopisie, powinno być: pareretis. <sup>c</sup> W rękopisie: in parile.